

*3*  
*HAC*  
LVDOVICI XIII  
COGNOMENTO IVSTI,

GALLIARVM ET NAVARRAE  
REGIS CHRISTIANISSIMI


LAVDATIO FVNEBRIS.

*HABITA IN SACELLO*  
PONTIFICVM VATICANO .

AD S. D. N.

VRBANVM VIII.  
P O N T. M A X.

A P. BERNARDINO DE BRAGELONGNE.  
SOCIETATIS IESU.



ROMAE, Typis Haeredum Francisci Corbelletti 1643.  
Superiorum Permisso.

<sup>3</sup>  
*Hoc*  
LVDOVICI XIII

COGNOMENTO IVSTI,

GALLIARVM ET NAVARRAE  
REGIS CHRISTIANISSIMI

LAVDATIO FVNEBRIS.


*HABITA IN SACELLO*  
PONTIFICVM VATICANO .

AD S. D. N.

VRBANVM VIII.


P O N T. M A X.

A P. BERNARDINO DE BRAGELONGNE.  
SOCIETATIS IESU.



ROMAE, Typis Hæredum Francisci Corbelletti 1643.

*Superiorum Permissu.*



ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE D.

D. FRANCISCO  
DV VAL, MARCHIONI  
DE FONTENAY,  
DOMINO DE MAREVIL, &c.

REGIS CHRISTIANISSIMI  
A SECRETORIBVS CONSILIIS,

AT QVE APVD

VRBANVM VIII.  
PONT. MAX. ORATORI.



EGIVM virtutum speculum tibi  
exhibeo, (Excellentiss. Legate)  
LVDOVICVM IVSTVM.  
Ad hoc cum omnes boni fingere  
mores suos, tum ex omnibus tuos  
in maximè componere studiisti.  
Exitu certè adeo felix; ut, qui nobilissimis populis tan-  
cum Principem representaret, nemo te vel sapius.


A 2 vel

vel sapientius sit delectus. Hac, quam exaraui;  
rudis illius adumbratio est; tu multò expressior. Oculis  
illam lustra; ea te illigatum intelliges. Fecit hoc  
quippe cùm Regis omnium maximi amplitudo, tūm  
virtus tua. Virtus omnis LVDOVICAEA est.  
Proinde ea tu, qua polles, esse non potuisti; quin illius  
in te partem exhiberes. Imò, ut amplissima atque ex  
mulearum societate concreta est tua; Ita de LVDO-  
VICO multùm habet. Doleo me quidem paucissima  
de tam multis, quæ in illo fuerunt, effinxisse. Sed  
expressionem ceterorum non passus est locus, in quo  
erat opus collocandum. Magni speculi fragmentum  
exiguum, Magnæ Virtutis hæc Imago mutila est.  
Fragmentum tamen hoc tunc abijce, hanc Virtutis  
particulam ne contemne: Pars exigua LVDOVICI  
Magnum Virum facit. Quare adumbrationem hanc  
quantulacunque est, benignus accipe: ut, quando  
iam spirante LVDOVICO non licet, at saltem effi-  
ctofruaris. Fruere verò; ut, quoniam ille te viuus  
animauit, nunc, quod sui Iuris est, in te pergit sal-  
tem ex parte viuere mortuus. Vale.

Excellentiæ Tuæ.

Addictissimus  
Bernardinus de Bragelongne.  
Societatis Iesu.

I. V-



## LVDOVICI XIII

COGNOMENTO IVSTI,

GALLIARVM ET NAVARRAE

REGIS CHRISTIANISSIMI.

LAUDATIO FVNEBRIS

AD S.D.N.

## VRBANVM VIII.

P O N T. M A X.



V E M hac ætate suspeximus;  
LVDOVICVM Maiestate Regem,  
Virtute Iustum, Fortitudine  
Bellicosum, Armorum potentia  
formidabilem, Victorijs & fe-  
licitate nulli Secundum ( BEA-  
TISSIME PATER ): Etsi hunc durum est dicere morte  
nobis ereptum, quem totius vota Galliae immor-  
talem

A 3

talem esse voluisse; Tamen atrocitatem dicti vincit officium: Ne, si memoria funeris ferri non posset, iniuria fieret Fortissimo Principi: Cui habitus extremi vitæ, non minorem gloriam, quam ætatis anteactæ valentes Spiritus conciliarunt. Evidem non infior robusti esse pectoris, eam cladem ferre fortiter; sed à patriæ virtute sim degener, si dolori succumbo. Nam ut ab omni æuo Galliæ Regnum singulari cura complexus est Deus; Heroibusque Maximis, quorum virtute florceret, locupletauit: Ita & à primis Regni fundati temporibus didicit Gallia, Magnas. Magnorum Principum iacturas pati; sic, ut nobis in vnu sit, ad huius naturæ vulnera eruditum pectus afferre.

Quæ ego re confirmatus vtcunque; de Christianissimo Rege LUDOVICO X I I. sic aggredior hoc loco dicere; ut ad hoc sacrarium Pietatis, nihil nisi pius; ad hunc fontem Religionis, nihil nisi religiosum, prædicatione tam Christiani Principis, allaturum me spondeam. Id efficiet illius Pietas singularis; Id, Religionis in Regno propagandæ studium constantissimum.

Ac Regia certè LUDOVICI Pietate, haud scio an quæ illustrior vnquam extiterit. Hæc in illius animo, à primis incunabulis, semina sua iecerat; quæ soli optimi opportunitatem nausta, & comprehendenderunt facillimè, & breui spatio temporis non.

non adoleuerunt solum; sed fructus etiam uberrimos protulerunt. Hæc pueritæ altrix, hæc excultrix adolescentiæ, hæc consequentis vitæ perpetua comes, Animum sapientiæ lacte vegetauit, neruis roborauit, auxit ornamenti. Quippe quam tu ætatem in L V D O V I C O deprehendes, à qua se Pietas vel tantillum séiunxerit? Egressum è cunis excepit, dum authoritate Parris grauissimorum virorum institutioni commissus est; Adolescentiæ cursum rexit, dum per omnes illius ætatis illecebras illæsum circumduxit; Virum vbique comitata est, dum in omnibus Regni viribus eximiæ vestigia probitatis impreissa reliquit.

Quæ si persequi singula, si recensere volueto, finem non faciam. Quod retineat memoria temporum; quod amet Gallia; quod, qui me audiunt, admirentur; imitantur omnes, hoc dico; Maluisse L V D O V I C V M, de Regni ac de vitæ gradu deiici, quam vlliis vnquam sceleris asperzione contaminari. Hoc decretum, conceptis verbis, suscepit Adolescentes, hoc Vir sæpius iterauit, hoc tota ætate, re factisque comprobauit. O vtinam fæs nobis hic esset, tam Piæ Mentis adyra penetrare, scrutari recessus, sensus intimos intueri! quæ Virtutum spectacula se nobis obijcerent?

Fidem videremus rerum diuinarum, fundamentis excitata firmissimis, animi sedem altis-

simam occupasse, Leges Rationi præscribere, ductum moderari, omnem quam velit in partem flectere. Incendia sentiremus Charitatis, quibus tam Augusti Regia pectoris conflagravit. Audiremus suspiria, quibus, dum vixit, ad æternitatem anhelauit. Sed hoc ingredi sacrarium, non cuiusvis est; quibus patuit, ista relinquo.

Quod erupit foras, quod oculis, quod auditu perceptū est, id commemoro. Illum vidimus ante aras, orandi sedulitate, silentij reuerētia, bonis omnibus pietate prælucere. Vidimus ad cælestes epulas accedentem, nunc contemiscere totis artibus, rei maiestate corruptū. Nunc lacrymis præ teneritudine colliquescere. Quibus tantæ Pietatis indicijs quid esse potest in Principe laudabilius, cuius mores in subditorum animos tacitè transfunduntur? Quid utilius Aulæ? quid Regno? quid Religioni cōmodius? Enim uero ita Domesticis profuit Pietas Lvdovici, vt quibus officium erat illius hærere lateribus, iij castigatissimis moribus esse tenerentur; Ita Regno, vt Regem æmulari qui vellet, ei esset ad colendam vitæ sanctimoniam magnis viribus contendendum; Ita denique Religioni, vt eorum non pauci, quos error à fide abduxerat, in eam intuentes, eiusque splendore perculti, palam exclamauerint; Non posse non esse alienissimam ab errore Religionem eam, quæ

tantis

tantis diuini amoris æstibus, vultum, pectus, animum, Lvdovicum denique totum inflammaret.

Sed hæc ornamenta faerint priuatæ Pietatis; Quod supereft, nisi Regia esse non potuit. Studium dixi propagandæ Religionis, in Lvdovico fuisse constantissimum. Dicti fidem facit Gallia; Veritas, totius Europæ conscientia tenetur; Magnitudinem, omnium temporum memoria celebrabit.

Lvdovicum vidit Gallia, Duce Religione, Comite Pietate, suas Provincias cum florentissimis copijs sæpius peragratem, accisis Ecclesiæ rebus fortiter consulere, salutem conciliare, restituere dignitatem. Vedit in ipso adolescentiæ flore, cum primùm regni gubernacula capessuit, post composita dissidia Principum, in Bearniam arma conuertere; quibus & restitutionem bonorum, quæ Religionis hostes Catholicis eripuerant, & sacri cultus restaurationem summa cum strenuitate procurauit. Vedit, brevissimo post tempore, perduellum iniurijs atque improbitate extimulatum, copias iterum conscribere; Occupato Salmurio, velut effractis foribus, per omnes Provincias, in quibus Hæresis castra locauerat, iter carpere victorijs gloriosum; Pietonum Angeriacum in ditionem recipere; Pontes Santonum, Cleriacum Aginnenium, Aquitaniæ, alias rum.

rumque Prouinciarum v̄bes prope infinitas ma-  
xima cum perduellium strage subigere . Quibus  
in omnibus , Deus immortalis ! quam feliciter ,  
quam piè , quam fortiter versatus est LVOVICVS !  
Felicitatem æternitati commendabunt expeditio-  
nes difficillimæ , quæ incredibili celeritate con-  
fectæ , potiorem omni spe fructum attrulerunt :  
Pietatem , Aræ mediis in castris excitatæ ; us  
s factorum militibus imperatus ; Religio , admini-  
strationis rerum castrænum in partem vocata :  
Fortitudinem , pericula capitis sexcentis in locis  
adita ; laborum militarum tolerantia singularis ;  
atque in perficiendis operibus , Animi contra om-  
nia tela robur firmissimum .

Quæ etsi eximia per se se sunt , & Heroe absoluto  
dignissima ; tamen in LVOVICO nō nisi adoleſcētis  
ætatis rudimenta fuerūt , quibus æui maturioris vir-  
tuti prolusit . Vedit enim , vedit eadē Gallia Forti-  
ſum Principem , adulta ætate , ea perficere ad  
Ecclesiæ res dignitatemque tuendam ; quæ non  
anteriorum modò temporum gloriam , sed etiam  
præsentium vota omnia superarunt . Vedit arcem  
illam impietatis Rupellam , quæ tot Regum co-  
natus luſerat , post obsidionem laboriosissimam ,  
post fixata aggeribus maria , post dissipatas Cō-  
federatorum classes , ad deditioñem glorioſiſsi-  
mè cogere ; Religionem secum in Vibem trium-

pho

pho inducere ; expiare Templa ; restaurare Aras ;  
Cultum ſacrorum , qui tot annos extinctus iacue-  
rat , in pristinam lucem dignitatemque reuocare .  
Vedit , hoc impiæ fraudis excifo capite , membra  
cætera , paucisimis mensibus , quæ ferro , quæ  
flamma , quæ , dum res tulit , benigna etiam manu  
studiosè purgare ; Prouincijs , quæ belluæ pelli-  
lentis afflatu enœctæ languebant , medicinam pro-  
curare ; Montem Albanum , qui ſecundas in im-  
pietate ab Rupella tenuerat , legum ac Religionis  
patientem efficere ; Pessulanum pertrahere ad  
obedientiam ; Nec priùs demum contentionem  
deponere , quam in omnibus regni partibus inco-  
lumentatem Religioni ſempiternam peperiffet .  
Hæc vedit Gallia ; hæc Europa ſuspexit ; hæc Po-  
ſteritas cùm accipiet , obſtupescet quidem rerum  
magnitudine ; mirari tamen , hoc Rege , desinet .  
Nimirum viuebat in Heroe nostro virtus Hercu-  
lea , quæ Lernæum virus ferre non poterat . Hy-  
dram vt vedit , congredi neceſſe habuit ; & eo  
certamine , quo illam peteret , aut vincere , aut  
mori .

His laboribus Herculis nostri diſtricta ætas  
maximam ad partem fuit : His aditum ſibi fecit  
ad gloriam , quæ conſequensit vitæ curſum or-  
nauit : Cuius amplitudinem vt ignorat nemo , ita  
nec difficile eſt hoc loco præteriri . Sileri tamen  
hoc .

hōc à me non potest ; Christianissimum Principe, post pacatam Galliam, bellum non nisi ægrè, voluntate pacem secutum fuisse. Atque inter bellorum incendia, non tam fortunæ munieribus, quām optatæ pacis amore delinitum, tranquillitatem victorijs omnibus sibi chariorem, & votis & consilijs quæsuisse.

Talem Athletam virtutis, talem Olympionicen pollicita sibi olim erat Gallia (BEATISSIMUS PATER) dum auspicijs tuis sacro fonte absatus, Religioni nomen dedit. Hoc ille titulo non minùs, quām hæreditario, Primogeniti Ecclesiæ prærogatiuam postulabat, promittebat officia, ornamenta requirebat. Quæ cùm Gallia iam tūm in Puerō præsentiret, speraret in Viro, in Sene desideraret; Præfensioni fidem inuenit, spe potita est, sed excidit votis. Consenescere Lau- reato non licuit; grauitati palmarum ætas ro- busta succubuit; Virtutem Virtus extinxit. Exan- plati labores, expeditionum molestiæ, pectoris curæ, spiritus generosi, corpus attriuerant; Ve- getare sed diutiùs in fatiscente domicilio Mens Au- gusta non poterat. Hoc sensit LUDOVICVS, hoc vidiit; cùm importunissimi morbi conflictatus ærumnis, exhaustus diuturnitate; Forti, & intre- pido animo, vt cætera semper omnia, mortem

in-

intuens; Vitæ minimè cupidus, præclare facto- rum conscientia hilaris, erectus spe prænij, de adornando decestu cogitare sedulò cæpit; ratio- nes totius vitæ ad examen accuratissimum reuo- care; Animum confeilione purgare, cæterisque religionis officijs piè, vt semper, ac sanctè de- fungi.

Quo in articulo, cùm multa præclarè & dixit, & fecit; tūm hærent animo, hærebuntque sem- per illæ voces, pio Principi gloriose; quibus For- tissimos viros, genere omni gloriæ, si religionem exceperis, omni laude floentes, religiosissimè compellauit. Diuelli se quidem ab hac vita non repugnantem; dolorem tamen hunc maximum ex ea reportare, quòd tantos viros, quos in om- nibus regni negotijs præclarè versari viderit, in fide non viderit; Testari diuinum Numen, ad cuius tribunal pergeret, extra Ecclesiæ Catholicæ septa nullum esse saluti locum; Hortari, mo- nentem ne respuerent, periculum præcauerent, resipiscerent. Qua ille voce tanquam cygnea, decursæ vitæ pietati resonans; post diuturni morbi iactationes grauiissimas, post crebros ve- hementesque conflictus, summo omnium luctu, Aulæ consternatione, Galliæ orbitate, dignam immortallitate animam exhalauit.

Iguofce LUDOVICE. Vox ista doloris est. Ego.

te.

te , qui Iustissimus in vita fuisti , hac morte tua iniustum prædicabo . Vsuram tui nimium breuem commodasti tuis , diurniorem debuisti . Tu Galliæ Pater , Tu Ciuium Amor , Tu Aulæ splendor & gloria : Galliæ orbitatem ; quam ex te contraheret , ætatis effœtæ caducitate mitigare debuisti ; non extinctione vitæ florentis contrucidare : Amori ciuium respondere libera- litate præsentia ; non decessu accelerato decoque- re : Ignes gloriae in te accensos , robustæ vitæ spiritibus sustentare ; non permettere mortis afflato tam intempestiuo restingui . Sed fallit me dolor ; Culpa vacas L V D O V I C E ; rem intelligo . Nimiùm potens , nimiùm gloriofa futura vide- batur superis Gallia , si te Principe diutiùs frue- retur .

Perge igitur Princeps gloriose . Cœlum spe ple- nus pete ; titulis confide . Gloriam adæquasti maiorum tuorum ; solij capacitatem implesti . Adi Clodouæos , adi Carolos , adi Ludouicos ; Magnis Heroibus Magnus Heros permiscere . Illi te venientem excipient , Laurearum pretium mirabuntur ; aeguiloni sedium suarum te in par- te locabunt . Nos interea absentem te votis profe- quemur ; Iustatibi iusro foluemus . Bonis frue- mur per te Regno partis ; beneficiorum memo- riam benevolentia sempiterna colemus . Confo- labitur

Iabitur orbitatem nostram solii cui Hæres ; cuius in lacteolis membris tua Virtus Herculea viget . Votis ille nostris adolescet , tui simillimus ; par pietate ; par studio religionis ; par gloria : hoc uno dissimili , quod , quam tibi obtainere non licuit , vitæ diurnitatem longissimam asse- quetur .

### D I X I.

### Ad Maiorem Dei Virginisque Matris Gloriam .

